

propter superbiam cecidit, sed gaudeat de (1) sublimatione. Vel dicendum, quod de hoc non debent gaudere quasi de maximo bono, cum hoc possit fieri sine merito ejus qui talia operatur, ut Glossa ibidem dicit, sed principale gaudium eorum esse debet de his quæ eos ordinant ad vitam æternam: unde & sequitur: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Ad secundum dicendum, quod verba Job sunt intelligenda de gaudio elationis: & hoc etiam patet in verbis Gregorii inductis. Superbum autem gaudium est, quando aliquis de bonis quæ Deus per eum facit, quasi propria gloria delectatur.

Ad tertium dicendum, quod ille qui gaudium de quo agitur, refert in Deum, non in se ipso gloriatur, sed gloriatur (2) in Deo in quem refert hoc de quo gloriari posset.

CAPUT XIX.

Septimo de hoc quod religiosi curias Principum frequentant.

Nunc septimo restat ostendere quomodo nituntur probare, quod religiosi non debent in familiis Principum, & magnatum conversari. Matth. enim xi. 8. dicitur: *Eccc qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Sed mollibus vestiri religiosi non comperit, cum statum penitentiae profiteantur. Ergo in domibus Regum, & Principum religiosi esse non debent.

Item. Glossa ibidem dicit: *Rigida vita, & prædicatione debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti, videlicet adulantes, & sic idem quod prius.*

Item. Luc. ix. super illud, *Loquebatur illis de regno Dei*, dicit Glossa: *Illis non otiosus, non in civitate synagoge, id est secularis dignitatis, residentibus, sed inter deserta Christum querentibus, celestis gratiæ alimoniam impartiuntur.* Si ergo religiosorum vita ad hoc est ordinata ut aliquis alimoniam celestis gratiæ consequatur à Christo, non debent religiosi cum his qui sunt in seculari dignitate, commorari.

Item. Hieronymus ad Paulinum presbyterum: *Multitudines hominum, & officia, & salutationes, & convivia veluti quasdam catenas fugias voluptatum.* Sed in curiis Principum conveniunt multitudines, & convivia frequentantur. Ergo religiosi ibi morari non debent.

Item. Boetius dicit in Lib. de consolatione, quod illi qui in potentia gloriantur, querunt vel regnare, vel regnantibus adherere. Sed hoc est reprobabile in religiosi, qui humilem vitam elegerunt quod in potentia gloriantur. Ergo regnantibus adherere non debent.

Item. Cum honores ad superbiam vite pertineant, quæ est unum de tribus quæ in mundo reprobantur, religiosi, qui mundo abrenuntiarunt, debent ab his quæ ad honorem pertinent, abstinere. Sed hoc videtur ad honorem pertinere quod aliquis prædicat in curiis Regum, vel Principum, vel Synodis, ubi multitudo hominum congregatur. Ergo religiosi de talibus se intromittere non debent: & sic nituntur concludere, quod religiosi nullatenus debent in curiis Regum, vel Principum conversari.

Sed hoc manifeste falsum ostenditur ex hoc quod

(1) An deest vox Dei? (2) Al. in Deum.

multi sancti viri cum Regibus, & Principibus commorati sunt. Joseph enim commoratus est in curia Pharaonis: de quo in Psal. civ. 21. dicitur: *Constituit eum dominum domus sue, & principem omnium possessionum sue.* Moyses etiam in domo filiae Pharaonis nutritus est, & instructus omni sapientia Ægyptiorum perhibetur, Act. vii. Nathan etiam Prophetia inter familiares David, & Salomonis computatur. Daniel etiam in curia Regis Babylonis constitutus est princeps super omnes provincias Babylonis, & postulat vit à Rege, & constituit super opera provincie Babylonis Sidrach, Misach, & Abdenago. Ipse autem Daniel erat in foribus Regis: Dan. xi. 49. Glossa: *A Regis latere non recedens, honoratus, familiaris.* Nehemias etiam pincerna Regis Persarum fuit, ut habetur Nehem. 1. Mardocheus etiam factus est princeps in curia Assueri, Hester vii. In novo etiam testamento in Regum palatiis aliqui Sancti morari visus leguntur: unde Phil. ul. dicitur: *Salutate vos Sancti, maxime qui de domo Cesaris sunt.* Sebastianus etiam in curia Diocletiani inter primos palatii fuisse legitur. Similiter Joannes, & Paulus fuerunt de familia Constantini Augusti. Et Gregorius in prol. Moral. narrat, quod inter regno palatio exubabat, ubi multi ex monasterio fratres germana charitate conjuncti secuti sunt eum. Non est ergo illicitum viris perfectis, viris religiosi in curiis Regum commorari.

Ut ergo appareat quid in ista controversia sit tenendum, sciendum, quod sancti viri aliquid propter se querunt, aliquid propter alios. Propter se quidem querunt Christo per contemplationem inhaerere vel in hoc mundo, quantum presentis vite infirmitas patitur, vel in futura vita, ubi eum plenissime contemplantur. Sed propter alios interdu cognuntur à desiderata contemplatione discedere, & se actionum tumultibus implicare. Sic ergo & in desiderio habent quietem contemplationis, & tamen propter salutem proximorum patienter sustinent laborem actionis. Unde Paulus Phil. i. 23. *Coarctor & duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, permanere autem in carne necessarium propter vos.* Gregorius etiam in homil. iv. secundæ partis super Ezech. ait: *Montri sponsus suum fortiter amantem una selet esse consolatio, si per hoc quod ipsa à visione differtur, aliorum anima per ejus verba proficiant, & ad celestem sponsum amoris facibus inardescant.* Et hac necessitate contingit quod Sancti quandoque multitudinibus se ingerant, & magnatum gratiam, & consortia querant, non favore humano, vel potentia delectari, sed ut plures ad viam salutis trahere possint, quia, ut dicit Augustinus VIII. confess. multis notis multis sunt auctoritati ad salutem, & multis præcunt, securus: quia, ut ipse infra dicit, *plus hostis vincitur in eum quem plus tenet, & de quo plures tenet.* Plus autem superbus tenet nomen nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis: ideo urgens charitate nobilitatem, & auctoritatem habentium Sancti consortia querunt, ut per eos pluribus possint proficere ad salutem: & nisi hoc facerent, essent merito arguendi. Unde dicit Gregorius in Pastoral. *Qua mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati ceterorum secretum proponit suum, quando ipse summus Patrii unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patrii egressus est ad publicum nostrum.*

Hic igitur visis, facile est respondere ad objecta. Quod enim dicitur Matth. xi. *Qui mollibus vestiuntur &c.* satis aperte ostendit, quod de his loquitur

tur qui in curiis Regum morantur ut ibi suas perficiant voluptates.

Similiter quod dicit Glossa Luc. ix. *Non otiosus &c.* intelligitur de illis qui in civitate, vel seculari dignitate resident, ibi quietem habentes. Sed Sancti quietem suam in Deo solum habent, & in ipso resident: quod autem eos oporteat in dignitatibus, vel eum multitudine commorari, magis laborem reputant quam quietem.

Quod autem dicit Hieronymus, *Multitudines hominum &c.* patet quod loquitur de frequentantibus multitudines, & hujusmodi, non ad fructificandum, sed ad delectandum: quod patet ex hoc quod sequitur: *Quasi catenas fugias voluptatum.*

Similiter quod Boetius dicit, *Illi qui in potentia &c.* manifeste apparet verum esse. Non tamen sequitur, si illi qui in potentia gloriantur, volunt potentibus adherere, quod est converso omnes qui potentibus adherent, vel adherere volunt, in potentia delectentur: cum hoc possit fieri propter aliam causam, ut dictum est.

Similiter etiam quavis prædicare multitudini sit honorificum, non tamen Sancti in hoc gloriam suam querunt, sed Dei, imitantes eum qui dicit Joann. vii. 18. (1) *Ego gloriam meam non quero, sed ejus qui misit me.*

CAPUT XX.

Quomodo pervertunt iudicium in infamiam personarum religiosarum, primo mala, si qua in eis sunt, extendendo.

Viso igitur quomodo blasphemantes perversi homines iudicium de rebus pervertunt: nunc videndum est quomodo pervertunt iudicium de personis. Forte autem possent alicui videri quod detractiones quæ personis irrogantur, essent tolerandæ sine contradictione: tum quia, ut Gregorius dicit ix. hom. primæ partis super Ezech. *perversorum derogatio vite nostræ approbatio est: quia jam ostenditur nos aliquid iustitiæ habere, si illis displicere incipimus qui non placent Deo: juxta illud quod dicitur Joann. xv. 18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit: tum etiam quia humana iudicia sunt parvipendenda, secundum Apostolum I. Corin. i. 2. *Mihi pro minimo est ut à vobis iudicer, aut ab humano die: & præcipue cum nostræ conscientie Deum testem habeamus, secundum illud Job xvi. 20. Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelis.* Sed interius considerantibus apparet hujusmodi detractionem linguas esse efficaciter reprimendas propter tria. Primo, quia eorum detractione non ad unam personam, aut ad plures determinatas fertur, sed ad totum religiosorum collegium. Unde eorum temeritati est viriliter resistendum, ne oves Christi passim luporum morsibus lacerentur. In detestationem enim mercenarii dicitur Joan. x. 12. *quod mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Lupus autem, ut Glossa ibidem dicit, est vel violentus, qui corporaliter vastat, vel diabolus qui spiritualiter dissipat. Reprehenduntur etiam quidam Ezech. xii. 5. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Secundo, quia eorum vitam denigrare nituntur quibus non solum conscientia necessaria est: propter se ipsos, sed etiam fama, ut in proximis*

per prædicationem proficere possint. De istis enim detractoribus, super illud ad Galat. iv. *Blice ancillam &c.* dicit Glossa: *Omnes qui in Ecclesia terrenam felicitatem querunt, adhuc ad Ismael pertinent. Ipsi sunt qui contendunt spiritualibus proficiuntibus, & detrahunt illis, & habent labia iniqua, & linguas dolosas.* Et ideo talibus detractoribus resistendum est. Ut enim dicit Gregorius in homil. prædicta, *hi quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere; ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & in pravus moribus remanentes, bene vivere contemnant.* Unde & Joan. detractis sibi verba compescuit in epistola ad Cajum, cum dixit: *Si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garris in nos: & Paulus II. ad Corin. x. 10. Epistola, inquit, graves sunt, & fortes: presentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* Tertio, quia non in hoc sistunt ut infament, sed ad hoc tendunt ut totaliter extirpent. Quod manifeste apparet ex hoc quod prælatos inducunt ut eos faciant ab omnibus evitari, ut in necessariis eis non provideatur, & ad eorum consortium nullus admitti permittatur. Quod quidem consilium significatur Isa. vii. 5. *Et quod consilium meriti contra te Syria in malum, Ephraim, & filius Romæ, dicentes: Ascendamus ad Judam, & succitemus eum, & avellamus eum ad nos.* Sed, ut ibi dicitur, *non stabit, & non erit istud.* Ista etiam sunt consilia de quibus dicitur Hierem. xi. 19. *CoGITAVERUNT super me consilia, dicentes: Bradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Sed in consilium eorum non veniat anima mea,* dicit Jacob Genes. penult. *Unde eorum crudelitas non debet amplius tolerari.* Ut enim dicitur Escher. vii. 4. *tradidimus ego, & populus meus, per eorum solliciti perversa consilia, ut conteramur, & jugulemur, & preamur.* Atque vitam in servos, & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gementiacerem. Dicitur enim Eccl. iv. 26. *Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec ad versus animam tuam mendacium.*

Ut ergo eorum detractionibus resistatur, sciendum est, quod ipsi in sua detractione quadrupliciter procedunt. De viris enim spiritualibus mala, si qua sunt vera, extendunt, dubia asserunt, falsa confingunt, bona pervertunt. Extendunt siquidem mala, quæ in religiosi inveniri possunt, (tripliciter.

Primo quantum ad tempus, videlicet ea quæ ante conversionem eam ad se perpetrata sunt, in eorum commemoratione. Exponentes enim hoc quod dicitur II. Timoth. 11. *Erunt homines se ipsos amantes &c.* contra religiosi, dicunt in eorum opprobrium, hoc de eis intelligi, quia ex statu in quo hujusmodi peccatis detinebantur, ad statum religionis perveniunt, quam ipsi detractores sectam penetrantium domos appellat. Sed in hoc manifeste errare convincuntur: quia, ut dicit Gregorius in XVIII. Mor. super illud Job xxv. 11. *Ferrum de terra tellitur,* tunc ferrum de terra tollitur, dum fortis propugnator Ecclesie à terra, quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo debet in eo despicit quod fuit, quia jam cepit esse quod non fuit. Et Apostolus I. Cor. vi. 11. post multorum enumerationem peccatorum subiungit: *Et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis,*

(1) Vulgata hoc loco: Qui autem querit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est: cap. vero vii. v. 30. Ergo autem non quero gloriam meam: est qui querat, & iudicet.

sed sanctificati estis, sed iustificati estis, &c. Expositio etiam eorum contra intentionem Apostoli est. Non enim vult quod prius fuerint tales quales prædixerat, & postea penetratores domorum efficiantur; sed quia (1) simul dum domos penetrant, sunt de numero eorum peccatorum quos prius enumeraverat.

Secundo extendunt quoad personas, ut videlicet quod ab uno, vel duobus geritur, toti religioni imponere præsumunt; sicut cum dicunt, quod non sunt cibis sibi appositis contenti, lautiora querentes, & multa hujusmodi: quæ etiam si ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus sunt totali collegio imponenda. Unde dicit Augustinus ad Vincentium Donatistam, & habetur xxiii. quæst. vii. cap. *Quicumque*. (2) „Quisquis res pauperum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebais, non per iustitiam, sed per avaritiam tenet, displicet nobis, sed nec facile ista monstratis. Nonnullos toleramus, quos corrigere, vel punire non possumus: neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter pisces malos rum-pimus retia Domini &c.“ Non ergo propter hoc infamandum est religiosorum collegium, si aliqui eorum numero gravia etiam peccata committunt: alias simili modo & Apostolorum collegium vituperabile fuit propter hoc quod dicitur Joan. vi. 71. *Nonne duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Unde etiam Cantic. 11. 2. dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter alias*: Glossa Gregorii: „Nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt.“ Sed tamen de his dici potest quod dicitur I. Joan. 11. 19. *Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant.*

Tertio extendunt religiosorum mala secundum quantitatem, videlicet eorum peccata levia ultra modum aggravando. Non enim potest homo in hoc mundo sine peccato vivere, secundum illud I. Joan. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Sed tamen peccata levia, quæ etiam in quibuscumque perfectis inveniuntur, quasi gravia exaggerant, contra illud Proverb. xxiv. 15. Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti.* Et ad hoc pertinet quod religiosus pseudoapostolos esse dicunt his signis, quod quarunt opulentiora hospitia, in quibus melius procurantur, quod procurant aliena negotia, ut sic mercantur hospitia; quod rapiunt bona temporalia illorum quibus prædicant, & alia hujusmodi: quæ etsi in vitium sonent, non tamen sunt tam gravia, ut pro eis dici possint peccatores qui hæc committunt, nedum ut pro eis possint dici pseudoapostoli: unde super illud Galat. 11. *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores*, dicit Glossa: „Hoc nomen non est usuratum in Scriptura de illis qui cum iuste, & laudabiliter vivunt, non tamen sunt sine peccato.“ Et sic eis convenit quod dicitur Matth. vii. quod scilicet vident festum in oculo fratris sui, & trabem in oculo suo non vident: ubi dicit Glossa: „Multi præventi maioribus, leviora in fratre malunt vituperare, & damnare quam emendare, pleni odio, & invidia.“ Implent etiam quod dicitur Matth. xxiii. 24. *Colantes culicem, camelum autem glutientes*, minima religiosorum peccata mordaciter arguentes, sua gravia non curantes.

CAPUT XXI.

Secundo dubia asserendo, quod scilicet religiosi favorem mundi querunt, & suam gloriam, & non Christi.

Nunc videndum est, quomodo dubia asserunt in religiosorum infamiam. Dubia autem maxime sunt futura, & etiam occulta cordis, de quibus etiam judicare præsumunt. De futuris quidem, cum dicunt, quod erunt finaliter in moribus reprobis, & tandem in fide erunt corrupti. De occultis vero cordium, cum dicunt, quod quarunt favorem mundi, quod quarunt suam gloriam, & non Christi, & multa hujusmodi. In quibus manifeste temerarii iudices convincuntur, ut patet per hoc quod habetur Rom. xiv. 13. *Non ergo amplius invicem iudicemus*: ubi dicit Glossa: „In his duobus temerarium iudicium, scilicet cum incertum est quo animo quid factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit qui nunc bonus, vel malus manifeste apparet.“ Vel superbia, vel invidentia est de his iudicare: quod maxime faciunt qui magis amant clamare, & vituperare, quam corrigere, & emendare. In hoc etiam sibi quod solius Dei est, usurpant, scilicet scire futura, & secreta cordium: unde dicitur Isai. xli. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dicitur estis vos*: & Hierem. xvii. 9. *Pravum est (4) cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus &c.* Unde I. Corinth. 14. 5. *Nolite ante tempus iudicare, &c.* Glossa: Aliter enim injuria iudici fit, si ante sententiam ejus à servo procedat sententia: quod intelligendum est in illis quorum sibi Dominus iudicium reservavit.

CAPUT XXII.

Tertio, falsa confingendo, quod scilicet religiosi sunt pseudoapostoli, pseudo prophetae, & pseudo christi.

JAM restat videre, quomodo in diffamationem religiosorum falsa confinguntur. Et quia, ut diximus, ad conterendum cor eorum, ut dicitur Isai. x. non sunt contenti quælibet mala confingere, sed gravissima, quibus eos suspectos reddant, & hominum societate indignos, & omnibus odiosos, & ut eos sua detractioe plenius opprimant: eis imponunt mala illa quæ in Ecclesia pessima inveniri possunt, & secundum ejus initium, ut in primitiva Ecclesia, & secundum ejus progressum, sicut secundum tempus quod nunc agit, & secundum ejus terminum, sicut erit temporibus Antichristi. Dicunt enim, eos esse pseudoapostolos, qui in primitiva Ecclesia vituperantur. Dicunt, eos esse fures, & latrones, & penetratores domorum, quales per totum tempus Ecclesiæ sunt cavendi. Dicunt eos nuntios Antichristi, novissimorum temporum pericula procurantes, quales in finali Ecclesia sunt timendi. A quibus tribus eos per ordinem defendamus.

Et primo quantum ad hoc quod pseudoapostoli dicuntur. Ut ergo appareat quam fallaciter hoc nomen religiosi imponant, quid hoc nomine significetur, videamus. Inveniuntur enim in sacra Scriptura multa quæ ad idem pertinent, sicut pseudo prophetae, & pseudoapostoli, & pseudo christi; quæ omnia in fal-

sitatem sonant, & ad idem pertinent, unde de eis simile est iudicium: quod patet ex hoc quod habetur II. Petri 11. 1. *Fuerunt & pseudo prophetae in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces.* Prophetæ autem, & Apostoli officium est ut sit mediator inter Deum & populum, verba Dei populo annuntiando, sicut habetur II. Corinth. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Unde ex duobus dicitur aliquis falsus propheta, & falsus apostolus. Primo ex hoc quod à Deo non est missus, prout dicitur Hierem. xxiii. 21. *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi propheta-bant.* Secundo ex hoc quod verba Domini non proponunt, sed falsa de suo confingunt: unde in eodem cap. dicitur: *Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, & accipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* Et Ezech. xlii. 6. hæc duo tanguntur. *Vident, inquit, vana, & divinant mendacium, dicentes, Au Domini, cum Dominus non miserit eos.* Et additur tertium, quod ad pertinaciam falsitatis pertinet, cum subditur: *Et perseveraverunt confirmare sermonem.* Unde cum Hieremias quibus falsus propheta condemnaretur, hæc duo à se removit, Hierem. xxvii. 15. *In veritate misit me Dominus ad vos, quantum ad primum: ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc, quantum ad secundum.* Et hæc duo in novo Testamento pseudoapostolos constituunt, videlicet quod non mittuntur à Domino, & quod falsam doctrinam disseminant. Intelligitur autem à Domino mitti, etiam quando à prælati Ecclesiæ mittuntur: unde Augustinus ad Orosium: „Apostolus interpretatur missus. Apostolorum quatuor sunt genera: à Deo, à Deo, & per hominem; & per hominem tantum; & ex se. A Deo, sicut Moyses; à Deo, & per hominem, sicut Jesus Nave; per hominem tantum, sicut nostris temporibus multi favore vulgi in sacerdotum subrogati sunt; ex se, sunt ipsi pseudo prophetae.“ Et postea subjungit: „Illum cognosce missum à Deo quod non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit; sed illum quem vita, & mores optime, & apostolicorum exactio commendat sacerdotum.“ Quod etiam pseudoapostoli dicantur illi qui doctrinam hereticam disseminant, patet ex hoc quod habetur in Glossa ad Galat. 1. super illud: *Nisi quod sunt aliqui qui vos conturbant.* Glossa: Hi erant pseudoapostoli, qui dicebant aliud Evangelium esse, & aliud legem Moysi: „& Marc. xlii. super illud: *Exurgit pseudo christi, & pseudo prophetae, &c.* dicit Glossa: „De hereticis accipiendum est, quod, contra Ecclesiam venientes, se Christos esse mentuntur: quorum primus est Simon magus, extremus Antichristus.“ Ad hoc autem quod aliquis non missus prædicit, vel falsam doctrinam prædicat, ex aliqua mala radice movetur, utpote vel ex avaritia lucrum querens, vel in inani gloria. Contingit etiam hujusmodi homines gratia Dei desertorum per multa vitia defluere & magna, & parva. Non tamen ex omnibus his radicibus, vel hujusmodi vitiis dicuntur pseudoapostoli, vel pseudo prophetae: quia non omnis qui propter lucrum prædicat, vel propter favorem mundi, pseudoapostolus est; alias non esset differentia inter mercenarium & pseudoapostolum. Qui enim aliud quam fructum animarum, & honorem Dei per prædicationem querunt, mercenarii dicuntur, sive vera, sive falsa annuntient, & sive missi, & sive non missi; sed pseudoapostoli, seu pseudo prophetae dici non possunt nisi quando non sunt missi, vel falsa annuntiant. Similiter etiam non

omnes peccatores qui verbum Dei annuntiant, vel sacramenta ministrant, sunt pseudoapostoli, vel pseudo prophetae. Veri enim prælati sunt veri apostoli, qui tamen peccatis exigentibus interdum peccatores inveniuntur.

In hoc etiam detractorum, contra quos agimus, insipientia, sive malitia ostenditur, qui religiosos pseudoapostolos, vel pseudo prophetas nominare præsumunt ex quibusdam signis, quorum quædam peccata levia sunt, quædam vero gravia, non tamen ad duo prædicta pertinentia, utpote quia quarunt honorem proprium, quia querunt de iniustis vindictam, & quædam alia hujusmodi: quæ etiam si omnia congregata essent in aliquo homine prædicante, non tamen eum pseudoapostolum constituerent, vel ostenderent, dummodo vera prædicaret, & missus. De falsitate autem prædicationis nihil proponere audent. Sed de hoc quod dicunt eos prædicare non missos, quod ad rem pertinet, quam inane dicant, patet ex his quæ supra dicta sunt, cum de eorum prædicatione ageretur. Unde reliquuntur in hoc esse mendaces, quod eis tantum crimen imponere præsumunt, religiosos pseudoapostolos nominando. Possent autem eadem astutia vel ipsimet, vel quilibet alii de simili crimine infamari. Cum enim pseudoapostoli multa egerint quæ etiam alii peccatores agunt, & interdum etiam iusti, licet ex alia causa; in promptu esset arguere: pseudoapostoli leguntur hoc vel illud fecisse: unde & illi qui hoc vel illud faciunt, sunt pseudoapostoli reputandi. Sed in hoc argumento manifeste vanitas inveniretur, ut ex dictis patet.

CAPUT XXIII.

Quarto, crimina imponendo quæ Ecclesia toto temporis processu patitur, scilicet quod religiosi sunt lupi, fures, latrones, & penetrantes domos.

Nunc videndum est quomodo religiosi crimina imponant quæ Ecclesia toto temporis processu patitur, utpote quod dicunt eos lupos, latrones, & penetrantes domos.

Quod enim sint fures, & latrones, per hoc volunt ostendere, quia, ut dicunt, non intrant per ostium in ovile ovium, dum confessiones audiunt, & prædicant, & docent aliunde quam per ostium. Ex quo manifeste insipientia convinci possunt. Quia ostium Christus est, ut per Glossam ibidem patet: nec prælati ostium dici potest: unde Glossa ibidem dicit, quod ostium sibi soli Christus retinuit. Non ergo intelligitur intrare non per ostium qui non intrat per prælatum, sed qui non intrat per Christum, sicut Judæi, Gentiles, Philosophi, Pharisei, & heretici, ut ibidem Glossa exponit. Isti ergo fures dicuntur, quia quod alienum est, suum dicunt, id est oves Dei suas faciunt, non convertendo ad doctrinam Christi, sed ad suam. Latrones, quia quod furantur, occidunt, retrahendo à fide, ut ex verbis Glossarum ibi accipi potest. Et tamen dato quod fures, & latrones dici deberent qui Christum annuntiant secundum veram doctrinam, non per prælatos Ecclesiæ; quam hoc sit à religiosis alienum, ex prædictis manifeste apparet; nisi illum errorem aliquis sapiat, quod Episcopus, vel Papa non sit immediatus prælati et iustitiae qui parochiali subditur Sacerdoti.

Lupos autem rapaces eos dicunt, per hoc quod accedunt ad ministrandum fidelibus Christi spiritualia alimenta, intrinsicè autem intendunt refici de bonis carnalibus eorum; sicut lupi accedunt ad oves, ut

(1) Al. similiter. (2) Qui res &c. (3) Vulgata. Excolantes. (4) Vulgata. cor omnium.

de carnibus earum reficiantur. In quo & manifeste desipere convincuntur. Manifeste enim Joan. x. Dominus distinguit inter mercenarium & lupum. Hoc autem quod lupus imponitur. Glossa mercenario attribuit, quae sic dicit: „Mercenarius est qui querit quae sua sunt, non quae Christi; qui servit Deo, non propter Deum, sed pro aliqua mercede. Illi ergo qui in hoc tantum offendunt quod intendunt temporalia accipere, & pro eis praedicant, mercenarii sunt, non lupi; nisi ipsi vel corporaliter mactent per potentiam, sicut tyranni, vel spiritualiter dissipent, sicut diaboli, & eius ministri haeretici, ut per Glossam ibidem patet. Hoc etiam apparet per hoc quod dicitur Act. xx. 29. Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos: Glossa: „Haeretici callidi, in fraude, fortes in disputatione, crudelis in occisione:“ & per hoc etiam quod habetur Matth. vii. 15. Intrinsecus autem sunt lupi rapaces; quod Glossa specialiter exponit de haereticis, qui venenato animo, & intentione nocendi, lupi rapaces sunt vel exterius, si detur copia, persequendo; vel interius corrumpendo. Quomodo etiam hoc sit temerarium iudicium, iudicare de aliquibus, quod carnalia principaliter intendunt, quamvis spiritualia sumentes carnalia accipiant: ex dictis patet.

Dicitur etiam eos esse penetrantes domos per hoc quod confessiones audiunt sine licentia sacerdotum: sic enim penetrant domos conscientiarum: quod probant per quamdam expositionem Glossa quae habetur II. Timoth. 111. super illud: *Ex his sunt qui penetrant domos &c.* Glossa: „Penetrant domos, id est rimantur proprietatem cuiusque; & quos idoneos inveniunt, captivos ducunt.“ Proprietatem autem cuiusque rimari non possent, nisi confessiones audirent. Quia ergo huc auctoritati multum innituntur, videamus intellectum eius. Praedixit enim Apostolus, quod in novissimis diebus effundam tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes &c. Novissimi autem dies, ut Augustinus dicit in epistola ad Hesyrium, quandoque dicuntur etiam ipsa Apostolorum tempora: unde illud quod dicitur Joel. 11. 28. (1) In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem: Petrus dicit esse completum in die Pentecostes, Act. 11. Quandoque etiam novissimi dies dicitur omnium ultimus: Joan. vi. 55. Ego resuscitabo eum in novissimo die. Hic autem oportet ut intelligantur novissimi dies, qui sunt illi novissimo propinquiores, eo quod Apostolus in futurum loquitur. Instabant, inquit, tempora periculosa, & erunt &c. quod ad illud pertinere videtur quod habetur Matth. xxiv. 12. quod refrigeret charitas multorum, & abundabit iniquitas: unde Glossa ibidem dicit: „Unde Apostolus: Erunt homines se ipsos amantes.“ Non ergo verba Apostoli sunt intelligenda, quasi vitia quae communerat, ullo saeculo unquam defuerint; sed quia abundante malitia, in futuris temporibus crescent. Quidam tamen in primitiva Ecclesia erant qui etiam illis vitiis abundabant: alias frustra diceretur: *Et hos devota*: & quasi Timotheo quaerenti, Quomodo possum vitare quae nondum sunt? respondet Apostolus: *Ex his iam sunt illi qui penetrant domos &c.* Illa igitur vitia quae supra posuerat, ad futurum pertinere vult; sed hoc quod dicit, *Ex his sunt qui penetrant domos*, ad praesens. Unde dicit penetrant, non penetrabant; captivos ducunt, non ducunt. Nec putandum est hoc loco pro temporis futuri verba

praesentis temporis possuisse, ut Augustinus in eadem epistola dicit. Erant ergo in primitiva Ecclesia aliqui ex hoc actu non, qui penetrabant domos &c. quos vult intelligi illis vitiis esse irretitos (2) quae in novissimis temporibus abundavit. Qui autem sunt isti, expressius exponit ad Titum 1. 10. ubi sic dicit: „Sunt multi inobedientes, & vaniloqui, & seductores... qui de circumcissione sunt, quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia.“ Sic ergo quod dicit, *Ex his sunt qui penetrant domos*, de illis intelligi qui latenter circumbant domos, falsam doctrinam disseminando; sive intelligatur de domo conscientiae, sive de domo materiali; & captivabant vinctulis erroris: unde subjungit Apostolus: *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Nec est intelligendum, ut ipsi volunt, quod hoc quod dicitur, *Reprobi circa fidem*, accipiatur pro futuro; quasi dicat: Qui nunc penetrant domos, erunt reprobi circa fidem: quod patet tum ex hoc quod dicit praesentialiter, *Hi resistunt veritati*: tum ex hoc quod sequitur: *Sed ultra non proficiet: insipientia enim eorum manifesta erit*: Glossa: „per bonos, praesertim per Joannem Apostolum, per quem in Asia destruendo haereticos praedicat.“ Ex quo etiam patet quod de haereticis Apostolus loquitur. Unde dato quod religionis confessiones audirent sine licentia praebitorum, dummodo haereticam doctrinam non seminarent, istis verbis Apostoli non notarentur.

CAPUT XXIV.

Quomodo mala quae in finali Ecclesia timentur, religionis imponunt, probare volentes, quod e vicino insident tempora Antichristi.

JAM videamus quomodo mala quae in finali Ecclesia timentur, religiosi imponant, dicentes eos esse nuntios Antichristi. Ad quod persuadendum, ad duo ostendenda conatur. Primo quod nunc quasi e vicino tempora Antichristi imminant. Secundo, quia nuntii Antichristi sunt specialiter religiosi qui praedicant, & confessiones audiunt, de quibus per ordinem agemus.

Quod autem non longe sunt tempora novissima, ex hoc probare vult quod Apostolus dicit I. Cor. x. 11. (3) *Nos sumus in quos fines saeculorum devenerunt*: & I. Joan. 11. 18. *Philii, novissima hora est*: & Hebr. x. 37. *Adhuc modicum (4) aliquantulumque qui venturus est veniet, & non tardabit*: & Jacob v. 9. *Ecce iudex ante januam assistit*. Ex quibus omnibus habere vult, quod cum a temporibus Apostolorum, quando haec dicebantur, iam tantum tempus sit elapsum, quod nunc prope imminet tempus Antichristi. Quae quidem verba si sic intelligant ut tempus Antichristi propinquum esse denuntient, eo modo loquendi quo temporis quantumcumque spatium in sacra Scriptura breve solet dici in comparatione aeternitatis, secundum quem modum dicitur I. Cor. vii. 29. *Tempus breve est*; in nullo reprehensibiles inveniuntur.

Sed tamen haec eorum assertio ad suam sententiam confirmandam efficaciam non habet; quia videlicet volunt adstruere quod nunc sunt cavenda illa pericula quae propinquissimis temporibus Antichristi praedicantur futura: & quod per religiosos qui nunc sunt, evenient; de quibus inquiri vult a praefatis. Si autem ex his verbis aliquid diffinivimus tempus signari vult, utpote quod Antichristus veniet intra septem annos, aut centum, aut mille; invenitur praesumptuosissimi multis auctoritatibus convicti. Dominus enim Act. 1. 7. quaerentibus nosse tempora, vel momenta, respondit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta*. Ex quo argumentatur Augustinus in epistola ad Hesyrium, quod si non est eorum nosse, multo minus aliorum. Et Matth. xxiv. 36. *De die autem illa nemo scit, neque Angeli caelorum*. Et idem habetur Matth. xii. & II. Thessal. 11. 2. *Non movamini a sensu vestro... quasi instet dies Domini*. Et Augustinus dicit in epistola ad Hesyrium loquens: „Dixisti: Evangelium dicit, De die illa & hora: nemo scit. Ego autem, inquit, pro possibilitate intellectus mei dico, neque mensum, neque annum adveniens ipsius sciri posse. Ita enim videtur sonare tamquam non possit sciri quo anno venturus sit, licet possit sciri qua hebdomade annorum, vel qua decade:“ & infra, *Quod si nec hoc comprehendere potest, quatuor tamen sic saltem possit intelligi tempus adventus eius, ut cum venturum dicamus infra istos, verbi gratia, vel quinquaginta, vel centum annos, vel quorumlibet seu majoris numeri, seu minoris annorum*: & infra: „Si autem nec hoc te comprehendisse praesumis, hoc sentis quod ego.“ In primitiva Ecclesia, ut Hieronymus narrat in Lib. de illustribus viris, & Eusebius in Ecclesiastica Historia, quorundam doctrina reproba est, propter hoc quod adventum Domini instare dicebant, sicut & isti nunc videntur dicere. Non ergo potest quantumlibet spatium determinari, aut parvam, vel magnum tempus, quo finis mundi, in quo Christus, & Antichristus expectantur, expectetur. Et propter hoc dicitur I. Thessal. v. 2. *quod dies Domini sicut fur veniat*: & Matth. xxiv. 38. *Sicut autem in diebus Noe... non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus filii hominis*. Unde & Augustinus in epistola ad Hesyrium proponit tres adventum Domini expectantes: quorum unus citius, alter tardius Dominum putat esse venturum, tertius suam de hoc ignorantiam confitetur: & hunc magis commendat, primum vero magis increpat.

Ad adstruendam etiam suam intentionem, tali ratione utitur. Ab adventu Christi ultima aetas incipit; aliae vero aetates non duraverunt ultra mille annos: unde cum iam ab adventu Christi multo plures quam mille anni transierint, in brevi hujus aetatis est terminus expectandus. Cui rationi obviat Augustinus in Lib. lxxxviii. Q. quae. lx. sic dicens: *Senectus autem solet etiam tantum tenere temporis, quantum reliqua omnes aetates*. Senectuti autem comparat istam ultimam aetatem: unde concludit: *Etas igitur ultima generis humani, quae incipit a Domini adventu usque ad finem saeculi, quibus generatim computatur, incertum est*. Et hoc utiliter Deus voluit latere, sicut in Evangelio scriptum est, & Apostolus attestatur, dicens, diem Domini tamquam furem in nocte esse venturum.

Inducunt etiam octo signa, quibus propinquum Antichristi adventum ostendere vult: quorum primum videtur sumi ex hoc quod dicitur Danielis vii. 25. de Antichristo: *Putabit quod possit mutare tempo-*

ra: Glossa: „In tantam elatus superbiam, ut leges, & caeremonias mutare conetur.“ Unde cum quidam iam Christi Evangelium mutare conentur in quodam aliud Evangelium quod dicunt primum, manifeste dicunt instare tempora Antichristi. Hoc autem Evangelium de quo loquimur, est quoddam introductorium in libro Joachim compositum, quod est ab Ecclesia reprobatum: vel etiam ipsa doctrina Joachim, per quam, ut dicunt, Evangelium Christi mutatur. Quo supposito, istud signum nullum esse quia temporibus Apostolorum quidam Evangelium Christi mutare voluerunt, ut patet Galat. 1. 6. *Miran quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium*.

Secundum signum assumunt ex hoc quod habetur in Psalm. 11. 21. *Constitue Domine legislatorum super eos*: Glossa: „Antichristum legis pravae latorem.“ Unde cum doctrina praedicta, quam legem Antichristi dicunt, sit Parisius exposita, signum est Antichristi tempus instare. Sed doctrinam Joachim, vel illius introductorium, quam vis alia reprobanda contineat, esse doctrinam quam praedicavit Antichristus, falsum est. Ipse enim praedicavit se esse Deum, ut habetur II. Thessal. 11. 4. *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus*. Quia si doctrinam Antichristi intelligunt omnem falsam doctrinam, sicut & Antichristi dicuntur omnes haeretici; tunc istud signum nullum est. A primitiva enim Ecclesia nullum tempus fuit in quo doctrinae haereticae non proponerentur. I. Joan. 11. 18. *Nunc antichristi multi facti sunt*: Glossa: „Antichristi sunt omnes haeretici.“

Tertium signum assumunt ex hoc quod habetur Daniel. v. & Isai. xxi. Visum est in Babylone reproba manus scribens: *Mane, Thecel, Phares*. Hanc etiam scripturam iam dicunt esse visam in Babylone dilecta, scilicet Ecclesia. Nunc interpretatur, *Numeravit regnum tuum, & complevit*, id est finivit. Per scripturam autem supra dictam numeratur regnum Christi. Dicitur enim quod durabit usque ad mille ducentos & septuaginta annos. Thecel exponitur, *Appansus est in statere, & ingentis est nimis habitus*: quia in scriptura praedicta Evangelio Christi praefertur aliud Evangelium aeternum, *Phares* interpretatur, *Divisum est regnum tuum, & datum est Meis, & Persis*. Et similiter dicunt, quod regnum Ecclesiae finietur, & ad alios transferretur. Unde sicut scriptura illa signat terminum Babylonis instare, ita etiam haec scriptura signat terminum Ecclesiae. Sed hoc signum apparet esse frivolum ex hoc quod dicit Augustinus XVIII. de civ. Dei, quod quidam dixerant, quod cultus nominis Christi debebat durare per trecentos sexagintaquinque annos, deinde completo memorato annorum numero, sumere finem. Jam ergo ante tempus Augustini aliqui fuerunt qui tempus Christi numeraverunt; & sic ista scriptura non est de novo visa. Unde per hoc non potest probari, quod adventus Antichristi iam de propinquo imminet. Augustinus etiam ibidem narrat, suo tempore quosdam fuisse qui computabant annos ab ascensione Christi usque ad ultimum eius adventum, quidam quadringentos, quidam quingentos, & quidam mille: quos omnes confutat auctoritate Domini dicens Act. 1. 7. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta*. Ibidem etiam hunc modum argumentandi quo isti utuntur, improbat in quibusdam, qui ex decem plagis Aegypti volebant sumere numerum persecutionum quas Ecclesia passura est: quas dicit esse conjecturas humanas nulla veritatis firmitate roboratas. In hoc etiam signo evidenter Scripturae quam repro-

(1) Ita refertur Act. 11. 17. (2) Al. qui. (3) Vulgata: Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos &c. (4) Vulgata aliquantulum.

bant, assentiant; cum & ipsi dicant Babylonem dilectam cito esse destruentem, sicut & scriptura quam impugnant, assererat. Patet etiam nullam similitudinem esse: quia scriptura illa que visa est in Babylone, divinitus est ostensa, unde erat indicium veritatis; sed scriptura de qua loquuntur, est ex errore conficta, unde ex ea nulla potest elici argumentum.

Alia vero quaeque signa sumunt ex Evangelio Matthaei, ubi Dominus videtur ponere signa adventus sui.

Quartum quidem signum est ex hoc quod dicitur Matth. xxiv. 9. *Occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Dicunt enim, quod hoc nunc impletur: quia quidam qui in Ecclesia videntur esse sanctiores, correptionem non sustinentes, suos correptores tradunt in tribulationem, & mortem, & in odium hominum. Hoc vero signum omnino nullum est, cum hujusmodi tribulationes Sanctorum maxime fuerint in ipsis Apostolis, & in Martyribus, de quibus Dominus haec praedicebat; nec adhuc aliquid persecutionis similes illis apparent. Unde non est magis signum propinquitatis adventus Christi quam tunc erat.

Quintum signum sumunt ex hoc quod subditur ibi: *Et tunc scandalizabuntur multi &c.* Quod dicunt nunc impletur, quando religiosi diffamantur, & ex hoc homines scandalizantur. Sed ista expositio est contra Glossam, quae ibi dicit: *Scandalizabuntur*, id est, discedent a fide timore, vel portents, vel immanitate temporum. Unde patet hoc esse completum temporibus Martyrum. Et iterum non est novum quod sancti viri ab impiis infamantur, cum dicatur etiam ipsis Apostolis, Matth. v. 11. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes.* In Ecclesiastica etiam Historia recitatur, quomodo tyranni procurabant fideles Christi turpissimis vitis infamari.

Sextum signum accipiunt ex hoc quod sequitur ibi: *Et multi pseudoprophetae surgent, & seducunt multos.* Quos dicit nunc apparere, quando religiosi quidam apparent, quos pseudoprophetae nominant propter hoc quod se ipsos commendant, & propter alia quaedam hujusmodi. Sed haec eorum expositio patet esse perversa per Glossam quae habetur Marc. xlii. ubi haec eadem verba leguntur, quae pseudoprophetae dicit esse intelligendos haereticos, vel illos qui in populo Judeorum fuerunt seductores post Christi passionem ante eversionem terrae Hierusalem. Ad huius etiam destructionem sufficit quod supra dictum est de pseudoprophetae.

Septimum signum accipiunt ex hoc quod ibidem subditur: *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeret charitas multorum:* quod dicit nunc impleri, quando quidam qui videntur in Ecclesia maxime fidei zelatores, dimittunt Evangelium Christi, & adherent Evangelio aeterno: in quo ostenditur, charitatem quam habere debent ad Christum, refrigerasse. Sed in hoc plane mentiuntur: quia illi de quibus loqui videntur, Evangelium Christi non dimittunt, nec alteri Evangelio adherent. Et praeterea dato quod hoc esset, numquid à multis retroactis temporibus aliqui qui in Ecclesia videbantur perfecti, novas haereses (1) confinverunt, Christi Evangelium dimittentes, ut Pelagius, Nestorius, Eutyches, & multi alii hujusmodi? Nec tamen in hoc illorum charitas refrigerasset ostenditur, quod etsi praedictam doctrinam non

(1) Supple non.

quatuor angulos terrae, Gog, & Magog: Glossa: „Has duas gentes ad litteram prius seducet, & per has, ad alias procedet.“ Vel secundum aliam expositionem, ibidem per Magog intelliguntur omnes persecutores diabolum intra se regentes, & tandem ad apertam persecutionem procedentes. Non ergo barbari a persecutione Antichristi excluduntur, ut dicunt.

Procedunt autem ulterius ad ostendendum, quod erant Christiani, per hoc quod dicitur II. Tim. 111. 5. *Habentes speciem quidem pietatis:* Glossa: „id est, christianae religionis.“ Et loquitur de illis per quos pericula novissimum temporum imminebunt. Sed in hoc errare noscuntur, quia illa vita quae ibi numerantur ab Apostolo, non sunt ita accipienda, quasi omnia eisdem oporteat inesse, sed quaedam his, quaedam aliis. Unde non oportet quod omnes illi per quos imminet illa pericula, habeant speciem pietatis, sed eorum aliqui: sicut etiam in primitiva Ecclesia patiebantur Apostoli persecutionem & à fidelibus, & ab infidelibus, ut patet II. Cor. xi. 26. *Periculis ex gentibus, periculis ex falsis fratribus.*

Uterius procedunt, quod isti nuntii Antichristi non reperiantur inter aperte malos. Hoc est autem expresse contra Glossam super illud Psal. xxxiv. *Deus, quis similis erit tibi?* quae totum illum Psalm. xxxiv. exponit de persecutione Antichristi, & inter ceteros Antichristi ministros per Philistinum dicit significari illos qui sunt ebrii luxuria secularium. Gregorius etiam in XX. Moral. exponens illud Job xxx. *Nunc autem deridit me &c.* dicit haec esse verba Ecclesiae ab adversariis suis extremis temporibus pressae: & postea subjungit: *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, & vita ipsa putabatur indigni:* quae postea, & multa sequentia de aperte malis, & carnaliter viventibus exponit.

Dicit etiam, quod tales Antichristi ministri inter eos qui videntur boni, inveniuntur: quod probant per illud quod dicitur Matth. vii. 15. *Attendite à falsis prophetis,* & per aliquas alias hujusmodi auctoritates. Sed quamvis tales aliqui sint futuri, per quos Antichristus seducet, nihilominus & alii non excluduntur, sicut etiam in primitiva Ecclesia fideles per utrosque persecutiones patiebantur.

Quod etiam dicunt, quod nullus potest seducere, nisi sit apparens bonus, patet esse falsum; cum multo plures seducantur deliciis huius mundi, & terroribus quam etiam specie honestatis.

Procedunt ulterius, quod nuntii Antichristi inveniuntur inter eos qui vacant studio literarum: quod probare nituntur per hoc quod habetur II. Timoth. 111. 7. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Quae probatio quam sit inepta appareat, cum hoc referatur ad mulierculas seductas, ut ipse textus ostendit, magis quam ad homines seducentes. Dato etiam quod ad seductores esset referendum, ad illos pertinere qui studio vacantes, deviant à fidei veritate, cum de haereticis verba illa sint exponenda, ut supra dictum est. Hoc idem probare nituntur per hoc quod dicit Gregorius in Lib. XIII. Mor. super illud Job xvi. *Hominis meus terribilibus oculis &c.* Sicut incarnata veritas in predicatione sua pauperes, illos, & simplices elegit: sic è contrario Antichristus ad praedicandum falsitatem suam astutos, ac duplices, atque huius mundi scientiam, habentes electurus est. Sed qui sint isti predicatorum litterati quos Antichristus mittet, Gregorius infra statim exponit utens auctoritate Isai. xviii. 2. *Qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super*

„aquis: quod exponens dicit: „Mittit in mare legatos, quia predicatorum suos in saeculo spargit. In vasis papyri super aquas. Vasa papyri sunt corda saecularium doctorum. In vasis ergo papyri super aquas legatos mittere, est predicationem suam in carnalium sapientium sensibus ponere, & defluentes ad culpam populos vocare.“ Illi ergo litterati sunt predicatorum Antichristi qui seculariter viventes, populos ad lascivias inducunt. Nec tamen si per litteratos Antichristi pericula in Ecclesiam inducet, sequitur quod solum per eos.

Procedunt ulterius deducendo, quod inter illos litteratos inveniuntur nuntii Antichristi quorum consilium reputatur pretiosum, maximum, & optimum, quasi si quis consuleret Deum, ut dicitur de Achitophel II. Reg. xiv. Et quod seductores finalis Ecclesiae per Achitophel significatur, probant per hoc quod Achitophel prius fuit cum David, & postea cum Absalon: sic isti prius erunt cum Christo, postea cum Antichristo: unde dicitur II. Timoth. 111. 5. *Habentes speciem pietatis:* & postea sequitur: *Hominibus corrupti mente, reprobi circa fidem:* & per illud quod dicitur I. Joan. 11. 19. *Ex nobis prodierunt:* Glossa: „Nobiscum in sacramentis communicant.“ Sed ista probatio non est efficax, quia non est intentio Apostoli in verbis praemisissis, quod prius habeant speciem pietatis, & postea eam deponant ad infidelitatem conversi; sed solum dum speciem habent pietatis superficie tenos, virtutem ejus abnegant, infideles existentes. Multi etiam haereticum cum Ecclesia in sacramentis conveniunt: aliqui enim sacramenta Ecclesiae recipiunt, ad minus ad apparentiam. Dato etiam quod quantum ad hoc per Achitophel significarentur, non tamen oportet quantum ad hoc quod Achitophel in consiliis fuerit famosus. Hoc etiam eorum processus ex conjectura humana procedere apparet, sicut in illis qui per plagas Aegypti futuras persecutiones Ecclesiae praedicebant, ut supra dictum est.

Adhuc procedunt ulterius, & ostendere volunt, quod tales nuntii Antichristi inter eos inveniuntur qui sunt ad consilia obligati, per hoc quod dicit Gregorius super illud Job xxx. *Ad dexteram orientis &c.* Ad dexteram, inquit, orientis calamitates insurgunt: quia hi quoque ad persecutionem Ecclesiae prosiliunt qui electa membra Redemptoris esse credebantur. Sed per hoc non potest probari, quod inveniuntur inter ligatos ad consilia: quia per electa membra, quae per dexteram significantur, omnes bonos intelligit: unde ibidem dicit: „In hoc loco dextera vocabulo fidelis populus Ecclesiae sanctae designatur.“ Sed si etiam per membra electa non significatur nisi perfecti, adhuc probatio non est efficax: quia etiam aliqui sunt perfecti propter gradum charitatis, etiam si sint matrimonio conjuncti: praeterea etiam sunt perfecti quantum ad statum. Unde per electa membra non possunt soli religiosi intelligi. Sed in processu hujusmodi plane apparet fallacia consequentis. Probare etiam nituntur hoc idem per hoc quod dicitur Matth. 11. 13. *Futurum est ut Herodes querat puerum ad perdendum eum:* Glossa: „Quam cito Christus in mundo apparuit, incepit in eum persecutio, quae praefigurat persecutionem Sancto-rum.“ Et ideo concludunt, quod sicut in adventu Christi se opposuerunt Christo qui sapientiores, & sanctiores videbantur, scilicet Scribae, & Pharisei: ita etiam se opponent fidelibus Christi in fine qui sapientes, & Sancti videbuntur, scilicet litterati, & religiosi. Sed haec probatio non est efficax: quia etiam

Christum non solum persecuti sunt Scribae, & Pharisaei, sed principes sacerdotum, ut Anna, & Caiphas, & principes saeculares, ut Herodes, & Pilatus. Nec illi qui Christum persecuti sunt, erant simul omnes Scribae, & Pharisaei, sed quidam Pharisaei tantum. Unde ex hoc non potest haberi quod intendunt: quia haec ratio non magis tangit religiosos literatos quam illiteratos, nec eos magis quam praedictos, & principes, & doctores saeculares.

Ex his autem omnibus praedictis sic colligendo concludunt. Patet ergo quod nuntii Antichristi erunt christiani apparentes boni, studiosi literarum deliri, in consiliis dandis famosi, religiosi, ad consilia obligati: in qua conclusione quid intendant, ostendunt. Eos enim quos infamare nituntur, ita notificant, ac si eos exprimerent nominatim. Nihil enim differt dicere Socratem, & Sophronisci filium, si solus sit Sophronisci filius Socrates. In quo eorum excusatio tollitur, & simul ostenditur quod ad personas descendunt.

Sed in hoc eorum processu multipliciter errare convincuntur. Primo ex hoc quod nuntii Antichristi diffiniunt tanquam unum genus hominum, cum ex diversis status hominum miostros Antichristi futuros Glossa ostendat super illud Psalm. LXXXII. *Deus, quis similis erit tibi?* Secundo, quia etsi diversae auctoritates de singulis quae colligunt, loquuntur, non tamen potest haberi quod omnes conditiones praedictae congregentur; sed forte multi erunt seductores nuntii Antichristi, quorum alii erunt religiosi, alii literati, alii famosi in consiliis, & sic de aliis: & forte non erunt aliqui de numero eorum in quibus omnia praedicta conveniunt. Tertio, quia etsi inter istos inventerentur, non tamen inter eos solos, ut probatum est. Unde haec probatio non magis procedit contra eos quam contra alios. Quarto, quia etsi aliqui talium sint futuri nuntii Antichristi, non tamen omnes tales, sed aliqui forte pauci, sicut & de singulis status forte aliquos ad se colligit Antichristus. Quinto, quia istae conditiones sunt bonae, scilicet esse Christianum, litteratum, famosum in consiliis, religiosum. Unde ex his conditionibus non potest judicari de aliquo, quod sit nuntius Antichristi, sed magis ex aliquibus malis, secundum doctrinam Domini, Matth. VII. & XII. unaequeque arbor ex fructu suo noscitur, scilicet bona ex bonis, mala ex malis.

CAPUT XXVI.

Quomodo religiosorum manifesta bona, ut orationes, jejunia, & huiusmodi, pervertere nituntur, & suspecta ostendere.

NUnc ultimo videamus, quomodo bona religiosorum, quae negare non possunt, nec mala esse asserere, utpote orationes, jejunia, miracula, & huiusmodi, pervertere nituntur, & suspecta ostendere, occasione accepta ex hoc quod in aliquibus Scripturae locis aliqui perniciosi homines huiusmodi operibus suam malitiam palliare dicuntur. Dicitur enim Matth. VII. 15. de falsis prophetis, quod *veniunt in vestimentis ovium*: ubi dicit Glossa, quod „in conspectu hominum similes sunt ministris iustitiae, dum jejuniant, orant, elemosynas dant; sed non sunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputantur:“ & infra super illud, *Multa dicent michi, etc.* dicit Glossa: „Maxime cavendum est ab his qui propter nomen Christi miracula habent: quae cum propter infidelitatem Dominus fecerit, monuit tamen ne a talibus

„decipiantur, putantes ibi esse visibilem sapientiam, ubi est visibile miraculum.“ Ex quibus ostendere volunt, quod nec ex virtutum operibus, nec ex miraculorum signis sint aliqui acceptandi.

Sed haec eorum sententia quam manifeste sit divina auctoritate contraria, facillimum est videre, cum Dominus dicit Matth. v. 16. *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, etc.* Matth. etiam XII. dicitur, quod arbor ex fructu cognoscitur, bona ex bono, mala ex malo; dicitur etiam I. Pet. II. 12. *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrahant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes*, Glossa: „vestram dignitatem,“ *glorificent. Dum in tempore visitationis.* Ex quibus patet quod ex bonis operibus in aliquo visis est acceptandum. Similiter & miracula per aliquem facta cum commendabilem reddunt, & doctrinam ipsius: unde Dominus dicit Joan. v. 36. *Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam... ea testimonium perhibent de me: & Marc. III. 20. dicitur, quod Apostoli praedicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Signa vero testimonium perhibent & homini, & doctrinae. Hoc autem non pro tanto dicimus, quin ab aliquibus malis aliqua virtutum indicia, & miraculorum signa ostendantur; sed quia nobis tantum de manifestis iudicare conceditur. Unde si in aliquo bona appareant, manifeste ex eis iudicandus est bonus, nisi alia manifesta mala ostendantur, ex quibus apparere possint illa bona indicia quae in eis apparent, non esse eorum fructus. Unde Matth. VII. super illud: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, dicit Glossa: „Non a veste, sed ab operibus: quod de manifestis accipit.“ Et Rom. XIV. super illud: *Is qui manducat, etc.* dicit Glossa: „Manifesta sunt quae non possunt bono animo fieri, ut sunt blasphemiae, furta, & huiusmodi: de quibus nobis permittitur iudicare; de quibus etiam dicitur: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Sed ea quae dubia sunt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.“ Auctoritates ergo quas inducunt, sic intelligende sunt, ut quantumcumque in aliquo bona signa appareant, illis decipi non debemus, ut ex illis signis vel ad malum, vel ad errorem aliquem pertrahamus. Sed si aliquis qui non invenitur ad errorem pertrahere, vel ad malum suggerere, credatur esse bonus per opera bona quae ostendit, quamvis forte sit malus; non est in hoc periculosa deceptio, cum non sit hominum de occultis cordis iudicare. Unde II. Corinth. XI. super illud: *Ipsae satanas transfiguratur se in Angelum lucis*, dicit Glossa: „Cum se bonum fingens, ea vel facit, vel dicit quae bonis Angelis congruunt, etiam si credatur bonus, non periculosus error, aut morbidus. Cum vero per haec aliena ad sua incipit, ducere, ne quis post eum eat, magna vigilancia opus est.“

Addunt etiam hic suae nequitiae, ut opera bona quae in religiosis respiciunt, hypocrisis nomen: quam gravissimum asserunt esse peccatum, etiam in hoc Pharisaeis similes, qui Domino eijcienti demonium, dixerunt: *In Beelzebub principe demoniorum ejicit demonia*, ut habetur Matth. XII. & Lucae XI. 15. Quibus similes sunt qui bona opera quae in aliis vident, statim ad hypocrisis referunt: unde Dominus ad eos confortandos dicit, Matth. XII. 33. *Si quidem ex fructibus arbor cognoscitur.*

In hoc etiam quam sit periculosa eorum assertio, facile patet: quia sic homines a perfectionis operibus retraherentur, si istud iudicium procederet; & in cor-

EPILOGUS.

& totius operis conclusio.

cordibus hominum confirmaretur quod propter opera perfectionis exterius apparentia aliquis esset hypocrita iudicandus; vel si etiam postquam perfectionis statum assumpserit, ex quocumque peccato commisso hypocrisis diceretur, hypocrisis existente tam gravi peccato, ut dicitur. Sed hoc renover Gregorius XXXI. Lib. Mor. super illud Job XXXIX. *Frustra laboravit nullo timore cogenturbi sic dicit: „Scientiam vero est, quod sunt nonnulli quos charitatis, gremio nutriens mater Ecclesia tolerat, quo usque, ad spiritualis aetatis incrementa perducit: qui nonnumquam & sanctitatis habitum tenent, & perfectae, tionis meritum equum non valent.“ & intra: „Hos, nequaquam credendum est in hypocritarum numerum currere: quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare.“ Illi ergo soli sunt hypocritae dicendi ex sententia B. Gregorii qui ea intentione opera perfectionis assumunt, ut malitiam suam occultius exercent, & magis nocere possint; non autem illi quos contingit ex infirmitate peccare etiam post habitum perfectionis assumptum.*

DIVI THOMAE

AQUINATIS,

DE PERFECTIONE VITAE SPIRITUALIS

OPUSCULUM XVII.*

* AL. XVIII.

Auctoris intentio.

QUoniam quidam perfectionis ignari, de perfectionis statu vana quaedam dicere praesumpserunt, propositum nostrae intentionis est de perfectione tractare, quid sit esse perfectum, qualiter perfectio acquiratur, quis sit perfectiois status, & quae competant assumptibus perfectionis statum.

CAPUT I.

Quod perfectio spiritualis vitae attenditur simpliciter secundum charitatem.

PRimum igitur considerare oportet, quod perfectum multipliciter dicitur. Est enim aliquod simpliciter perfectum: aliquid vero dicitur perfectum secundum quid. Simpliciter quidem perfectum esse quod attingit ad finem ejus quod ei competit secundum propriam rationem; secundum quid autem perfectum dici potest quod attingit ad finem alicujus eorum quae comitantur propriam rationem; sicut animal simpliciter dicitur esse perfectum, quando ad hunc finem perducitur ut nihil ei desit ex his quae integritatem vitae animalis constituunt, puta cum nihil

SIC igitur divina auxiliante gratia malignorum detractionibus repressis, evidenter apparet quod nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulat, sed crucem Domini bajulantes, operibus spiritualibus insistent, carnalia desideria contemnescentes. Pateret siquidem locus multa replicandi contra praedictos detractores; sed eos divino iudicio reservamus, cum eorum nequitia possit esse omnibus manifesta ex his quae ex corde suo nequissime protulerunt, secundum sententiam Domini dicentis, Matth. XII. 34. *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Si quis ergo emundaverit se ab istis, ut habetur II. Timoth. II. 21. eorum scilicet iniquitati non consentiens, erit vas in honoris sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Qui vero eis consentiunt, caeci caecos sequentes, simul cum eis in fossam cadent: a qua ut liberemur, haec dicta sufficiant, Domino adjuvante, cui sit honor, & gratiarum actio in saecula saeculorum. Amen.

ei desit ex numero, & dispositione membrorum, & debita corporis quantitate, & virtutibus quibus operationes vitae animalis perficiuntur; secundum quid autem perfectum animal dici potest, si sit perfectum in albedine, aut in odore, aut in aliquo huiusmodi. Sic igitur & in spirituali vita, simpliciter quidem homo perfectus dicitur ratione ejus in quo principaliter spiritualis vita consistit; sed secundum quid perfectus dici potest ratione cujuscumque quod spirituali vitae adjungitur.

Consistit autem principaliter spiritualis vita in charitate: quam qui non habet, nihil esse spiritualiter reputatur; unde Apostolus I. Cor. XII. 2. dicit: *Si habuero prophetiam, & novierim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ne montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Beatus etiam Joannes Apostolus totam vitam spiritualem in dilectione consistere asserit dicens I. Joan. III. 14. *Nos scimus quia transiitimus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Simpliciter ergo in spirituali vita perfectus est qui est in charitate perfectus; secundum quid autem perfectus dici potest, secundum quodcumque quod spirituali vitae adjungitur: quod evidenter ex verbis sacrae Scripturae ostenditur.